

*Hopl.* 278. Phys.

PRIMARIA  
**GRAVIUM**  
LEVIMUMQUE  
PHÆNOMENA

*Ad*  
Principia causasque suas  
reducens  
EXERCITATIO.

EAM  
SUB PRÆSIDIO

VIRI

*AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI*  
**DN. M. JOH. CHRISTOPHORI**  
STURMII,

Phil. Nat. & Mathem. P.P. Celeberrimi  
Dominii Patroni & Preceptoris sui aeternum devenerandi  
Publice defendendam sibi sumit

**JOHANNES ACHATIUS CÖLER,**  
Heilsbronnâ-Francus.

*Ad d. 28. Martii M. DC. LXXXV.*

\*\*\*\*\*  
ALTDORFFI  
Typis Johannis Henrici Schönerstdt.

1355.

PRIMARIA  
MUVARIA  
LEAVIMONIE

PENITENTIA





RESPONDENTI SUO

PRÆSES

S. P.



**N**on quia sic moris est, MI CÖLERE,  
aut ut petitis tuis magis quam meritis  
annuam, sed ultrò serioq; & ex animi  
sententia tibi gratulor de publico,  
quod edere constituisti edesque, scio, non sine  
laude, specimine tum sedulitatis & industriæ in-  
signis, quam in publicis privatisque lectionibus  
cum tui similibus paucissimis & audiendis atten-  
tè & in succum sanguinemque convertendis lau-  
dabiliter hactenus posuisti, tum indolis egregiæ  
& ingenii selectioris, quibus instructum te largi-  
ter divina voluit Benignitas; quibus utrisque  
quidem non mihi solum intra parietes domesti-  
cos, sed extra hos VIRIS PROFESSORIBUS  
aliis CLARISSIMIS, Doctoribus tuis, atque  
adeò Bonis omnibus commendatum te sic de-  
disti

( १ ) : ( ० ) : ( ५ )

disti, ut amorem favoremque omnium in te  
convertebas abundans etiam tamen,  
nisi exemplo eas aliis ac tibi incitamento potius  
ad enitendum plus ullarà, quàm occasionem re-  
missionis imposterum diligentia, futuras esse fui-  
sem persuasissimus. Perge igitur, DILECTE MI,  
quo cœpisti pede alacriter ad laudem gloriamque  
contendere, imò, si nihil horum etiam aliorum-  
ve præmiorum foret expectandum, ex communi  
debito, quo DEO, PATRIÆ, PARENTI ob-  
strictum te probè intelligis, quodque proh dolor!  
insuper habent quamplurimi, eò conniti, ut Ec-  
clesiæ Christi Reique publicæ officia præstes ali-  
quando haut vulgaria: Italætus ominor totoque  
precorpore: Itavale viveque in spem & gau-  
dia MAXIME-REV. DNI. PARENTIS cumula-  
tissima! Dabam è Museo, verbis quidem depro-  
peratis, animo verò dudum præmeditato. X. Kal.  
Aprilis clc LXXXV.

adegò Bocis olimpias conuenientem et sic q[ue]d  
q[ui]llis Cavarissimis Dogmatis suis sedne  
cos leges ex his. Alio PROLESSTORIBUS

Univ. Bibl.  
München





# GRAVIAU LEVIUMQ; PHÆNOMENA

Ad principia causasque suas reducens  
EXERCITATIO.

## PRÆFATIUNCULA.

**E**rt animus de Gravium descensu Le-  
viumq; ascensu, aut nisi saltem utro-  
rumq; descendendi vel ascendendi, mul-  
ta paucis ita complecti, ut recepta nobis  
methodo PHÆNOMENA primum & experimenta  
in eo genere præcipua distinctè exponamus: deinde  
OBSERVATIONES & experientias alias, quæ prio-  
rum illorum causis vel demonstrandis vel illustran-  
dis fundamenti loco substernantur, enarramus; tum  
verò causas illorum ex harum fontibus, hypotheseos  
commodæ simpliciorisq; ductu, derivare conemur;  
tandemq; conjectaria nonnulla prono fluxu inde de-  
rivemus: Totam adeò rem distinctis quatuor capi-  
tulis grata, nec obscuratamen, brevitate, spero, com-  
plexuri.

A

CAPUT

## CAPUT I.

### *Gravium Leviumq; Phænomena præcipua Compendio enarrans.*

I. PHÆN.

**I**llud primum etiam in vulgus notum est, terrestria quæque corpora, sive solida illa stabiliaque fuerint, ut lignum, lapides, metalla, & animata omnia, sive fluida sint, ut aqua, mercurius, oleum lac, vinum &c. ex editiore loco aëri libero permisla deorsum ruere ac ad terram usque descendere; id quod *Gravium Descensum* appellamus.

II. PHÆN. Quod si terram jam attigerint, aut qualicunque modo suspensa in sublimi teneantur, quiescere sic & promovere nihil visa intra sensibile temporis spatium, non cessant tamen movere viribus omnibus, descensumque tentare; hunc suum conatum (quem *Gravium Nisum* appellamus) indicis certissimis variè demonstrantia: Ut enim faxa grandiora terræ, epithaphia sepulchræ, incumbentia tractu temporis magis magisque demerguntur; guttae ex stillicidiis diu pendula tandem auctiores decidunt; sic lapis ex funiculo suspensus, aquæ aggeribus coercitæ, haut raro hæc sua impedimenta removent viamq; ad inferiora diu frustratentatam, ruptis vinculis & obicibus, sibimet aperiunt.

III. PHÆN. Quin aër etiam gravitate sua gaudet, &, nisi à gravioribus intercipiatur, actu ipso descendit; testibus foveis recensfactis, cellis & antris subterraneis, utribus & recipientibus, cùm inflati essent aut aëre pleni, iterumque cùm evacuati, ad bilancem expensis &c.

IV. PHÆN. Quodque minus credibile nonnemini fortè videatur, ignem etiam nostrum culnarem & vulgares flamas quascunq; suum habere pondus & gravitatis expertes haut esse, indubii hodie experimentis constat & singulari fugacis undæ detinendæ, bilanciumque exactiorum examini subjiciendæ, dexteritate.

V. PHÆN. In hoc gravitatis examine ordinario subinde observatur, Unius corporis nisum in lancem sibi subjectam (quem hoc in casu *Momentum*, tanquam *movimentum*, speciali nomine dicimus) superare nisum alterius ex altero libræ brachio suspensi (quo casu il-

lud

Iud Gravius, hoc *Minus grave*, sive *Levius*, simpliciter dicitur,) mole interim cum pondere paria non semper faciente : Siquidem nunc lapis mole minor plus momenti habet ligno majori, nunc contra; ex ejusdem verò speciei corporibus quod majus est etiam plus ponderat.

VI. PHÆN. Quodsi inolis æqualitas in comparandis duobus gravibus servetur, siquidem ea naturæ quoque & speciei ejusdem fuerint (uti v.g. duo globi palmares ex eodem ligno) æqualium quoque momentorum inveniuntur. Accidit tamen etiam, etsi rarius, ut corpora diversæ licet naturæ, sub æquali mole æqualia habeant pondera & momenta (ut aqua & cera, temperato præsertim tantisper alterutro;) & hæc talia *Ejusdem specifica gravitatis* esse dicuntur.

VII. PHÆN. Frequentius autem multo contingit, ut corporum duorum naturâ, quodammodo saltem, diversorum æquales moles (e.g. duo vel plures cubi vel tesserae pollicares, ex auro unus, alter ex plumbo, tertius ex marmore &c. Vel etiam duorum fluorum diversorum, ut mercurii, & aquæ, & olei &c. æquales mensuræ) pondera quoque & gravitate differant : quo casu equidem, sive solida cum solidis aut liquida cum liquidis, sive etiam liquida cum solidis, comparentur, id quod sub æquali mole plus ponderis habet *specie gravius*, alterum vero, quod sub æquali mole minus ponderis ac momenti habet, *specie levius*, appellatur.

VIII. PHÆN. Quod si contingat corpora duo *specificæ gravitatem differentia*, sive utrumque fluidum sit, sive firmum alterum ac stabile, in eodem loco concurrere, tunc minusgrave à graviore ordinariè attollitur ; prout e.g. lapis in labrum aquâ plenum demissus hanc ultra vasis margines ascendere cogit, lignum autem contra ad vasis fundum violenter depresso ab aqua sursum pellitur, eò celerius & longius ultra hujus summitatem, quò minus solidum illud porosiusque fuerit. Sic aër ex poris cornu cervi, ungula alcis, ebore fossili, mica panis, à superaflusa aqua paulatim exprimitur, oleum aquæ commixtum ad ejus summitatē evehitur, spiritus vini eidem aquæ, metalla omnia, præter aurum, argento vivo supernant, ignis in aëre ascendit &c.

IX. PHÆN. Quamvis autem hæc talia corpora quæ in fluidis gravioribus ascendunt, ideo *Levia* dici soleant; non est tamen hæc Levitas aliud quid quam minor gravitas, ac notatu omnino dignum.

ejusmodi leviora corpora, eo ipso etiam dum actu ascendunt, gravitatis sue nihilominus integrum deorsum exercere; id quod vel hoc unum experimentum evincit, quo lignum una cum aqua in qua ascendit ad bilancem expensum eandem ponderis utriusque summam exhibet, quam faciunt seorsim utraque ejusdem libræ examen subeuntia.

X. PHÆN. Atque hæc sunt Vulgata magis & ordinaria Gravium Leviumq; Phænomena, quibus extraordinaria quædam paucissimis adjungenda veniunt, cum e. g. flammatum ex lycno accenso in aliis recens-extincti ellychnium fumigans inferius admotum descendere, non aquam solum & potulenta alia, sed argentum vivum etiam per fistulas erectas & siphones reflexos, exsucto aere, ascendere, sanguinem & suctis carnibus, & has unam in cucurbitas calefactas attollit &c. ex adverso aquas circa patula clepsydrarum foramina, doliorum supernè quidem obturatorum inferne vero relitorum aperta epistomia, hærente, pondere centum librarum & amplius, ex polito marmore pendere videmus, non alio vinculo aut glutine, quam aquæ aut olei, aut alijs pinguedinis lubricâ humiditate detenta &c.

XI. PHÆN. Minus vulgata vero & magis etiam admiranda illa sunt, quod in Paschaliano experimento & major & minor aquæ copia inæqualium supernè vasorum A & B (Fig. 1.) embolos inferos C ac D, & mole & pondere æquales, ab eodemque contrapondio libratos, sub eadem altitudine æqualiter exprimant; quod in Steviniano experimento, (vid. Fig. 2.) aqua paucissima vix decimam aut vigintimam sextarii partem conficiens, vasculi fixo cuidam cylindro ligneo intus fundo suo applicati reliquis angustiis excepta, eidem ponderi oppositæ lancis, cui plenus alias sextarius, æquiponderet; quod in vase recurvo (vid. Fig. 4.) copiosissimus in crure ampliore liquor à paucissimo in angustiore crure non solum in æquilibrio detineatur, sed etiam, si tantillum accreverit hujus altitudo, universum illius pondus absolutum, tametsi vel centuplo majus, attollatur &c. Quæ res equidem adeò superare omnes naturæ corporeæ vires Henrico Moro V.C. videtur, ut spirituali cuidam agenti & hæc, & hactenus enarrata pleraque, accepta ferenda putet.

XII. PHÆN. Hisce vero suppar est illud quoque universæ Mechanicæ fundamentum præcipuum, quod in statera sive vecte (vid. Fig.

( 5 ) : ( 5 ) :

Fig. 3.) pusillum ex brachio longiore suspensum pondus eulum alii vel centuplo ex brachio centies breviore pendentis æquiponderat, unaque adeò libra decenter applicata tantundem momenti habet, quantum centenarius integer; ita ut facta illi quavis accessione leviculâ, universum hujus pondus emoveri attollique soleat.

XIII. PHÆN. Notabilis porrò vel in primis est nec adeò in vulgaris nota in actuali gravium descensu illa circumstantia, quod is continua sua velocitatis incrementa habeat, sub initium tardiusculus, deinceps verò singulis momentis velocior, & quidem (quod Galileus Galilei primus observasse videtur, deinceps vero Ricciolus operis globulorum cretaceorum ex diversis turriis altitudinibus perpendiculariter demissorum, alii verò globulis per tubum vitreum prælongum, & quod lentior esset delensus, multum inclinatum inque partes divisum, devolutis, demonstrarunt, pendulorum accuraturum vibrationibus tempora dimensi) secundum proportionem arithmeticam numerorum imparium, 1, 3, 5, 7, 9, 11, 13. &c. (vid. Fig. 5.) ita scilicet, ut, quod primo momento temporis per 1. pedis spatiū decidit grave, descendat in secundo momento per 3, in tertio per 5, in quarto per 7 pedd. spatiū &c. atque adeò collectim sumatis & temporibus & spatiis decursis, haec istis respondeant, ut quadrata suis radicibus, eodem sc. gravi, quod uno momento decurrat ulna unam, duobus momentis absolvente 4, 3 momentis 9 ulnas & sic porrò; saltem usque ad certos, 300 forte pedum, altitudinis terminos, quos ultra nulla amplius futura velocitatis incrementa suspicantur Viri doctissimi.

XIV. PHÆN. Ex opposito dudum observatum est projecta sursum corpora (id quod in jaculis ignitis luculenter est videre) ab initio celerrime, deinceps gradatim tardius ascendere, donec extincto prorsus omni motu ascensorio ad terram redire dicto jam modo occipient: Et quamvis horum decrementorum proportionem in ascensu, nemo, quod sciām, ad mensuram experiendo revocaverit, prout de illa in descensu factum; dubium tamen haut est, ac inter conclusiones magis dispalescat, eandem illorum ibi quam hic esse.

XV. PHÆN. Illa denique circumstantia notari omnino mereatur, quod gravium inæqualium non eadem sit in descensu velociitate proporcio, quæ ponderum, (uti quidem Aristoteles invitâ experientia existimavit) nec omnino tamen eadem in omnibus ve-

Iocitas (uti ex adverso quidam crediderant, ex mediocri forte altitudine pondera inæqualia eodem ad sensum tempore terram attigisse conspicati;) Sed quod ex altitudine notabili demissorum unâ gravium inæqualium, ejusdem aliâs materiae & externæ formæ, (globosæ præsertim,) majus semper citius terram feriat quam minus: prout equidem & hoc & superiora Phænomena pluribus specialibus, circa res istas omni studio ac destinato consilio factis experimentis comprobari possent, siquidem id aut propositum nostrum hac vice, aut pagellarum harum angustia concederet.

## CAPUT II.

*Alia quedam experimenta Observationes & Hypotheses complexum, è quibus superiorum Phænomenorum cause per Conclusiones Cap. III. sequuturas deduci poterunt.*

### OBSERVATIO I.

**C**Um Planetarum motûs in orbem indubii (quos omnis antiquitas in ipsorum cœlorum solidos orbes retulit) hoc nostro ævo, quo fluiditas ætheris argumentis insolubilibus evicta est, vix possint rectius quam per orbium fluidorum, ista corpora sibi quasi instantia vorticium modo devehentium, circumgyrationem explicari, (si v. g. supponamus hujusmodi gyros vel orbes partiales deferre 4 Medicæa sidera circa 4, tres noviter detectos Satellites circa 5, hos ipsum autem Planetas primarios unâ cum ipsis suis minutioribus vorticibus, intra Vastiorem Orbem circa Solem unâ cum ♂, ♀ & ☽ circumvehi &c.) motus 》 certè circa terram nostram pariter indubius, ejusmodi gyrum cœlestem perpetuum, cuius terra centrum sit, eodem jure sibi depositum.

II. OBSERV. Hunc verò, qui Lunam circa Terram vehat, orbem æthereum supra aërem demum aut paulò infra lunam incipere (prout de concavo 》 solido credere quandam licuit) absurdè nunc statueretur; Siquidem æquè incredibile est Telluris globum undique porosum aëris facilimè divisibili substantia lanuginis instar circum-

cum-

cum datum, in vastissimo hoc ætherei fluoris gurgite natare, nec tamen ab hujus partibus incomprehensibiliter subtilibus undique pervadi, ac impossibile esse quivis videt, pumicem aut suber tenuissimam lanugine obductum intra medium aliquem oceanii vorticem ita fluctuare, ut gyrans circa ipsum perpetuo aqua nec intra lanuginis filamenta, nec intra pumicis poros se insinuet: Ut nunc taceam, ipsam aëris aquæque fluiditatem, & luminis inexplicabilem alias naturam, hanc ætheris ubique in universa Sphæra elementari præsentiam omnibus modis efflagitare.

III. OBSERV. Motum in orbem sive circularem cum conatu recedendi à centro circuli vel orbis esse conjunctum, exemplo lapidis intra fundam circumrotati eamque validè tendentis, globuli intra canalem circumacti ad hujus superiora paulatim enitentis, lapilli intra circulum ligneum celeriter gyrati ejusque cavitati interea firmiter adhærentis, traharum puerilium palo in media glacie de fixo alligatarum funemque dum in orbem aguntur validissime trahentium, imò nudi funiculi circumgyrando in rigidam reætitudinem exporreæti, similiumque, certissimè constat. Estque tum hoc unâ notum, quod hic conatus, remotis impedimentis, in actualem à centro digressum erumpat / uti lapis è funda dimissus ac trahæ memoratae rupti funis vinculo liberatae testantur; ) tum illud vel in primis hic attendendum (Vid. Fig. 6.) quod lapidis L in funda circumacti nitus non solùm à centro circuli IKL, quem suo motu describit, sed unâ quoq; à manu gyranter M, tanquam sui motus polo, sentientem se manifestissimè exhibeat.

IV. OBSERV. Quemadmodum autem alias unum corpus altero aptius deprehenditur ad recipiendum motum, atq; adeò ad nîsum illum extrorsum in motu circulari; Sic experimentis plurimis constat, ubi plurimum ac diversorum corporum, quorum alia solidioris, alia laxioris & porosioris substantiæ sunt, promiscua farrago intra unum eundemque vorticem unâ gyranter, tametli conatus aliquis recedendi sit in omnibus ac singulis, majorem tamen in solidioribus porosiorum minorem vincere, ideoq; ab illis facto ipso à centro motus digressis hæc altera per circulationis leges in locum à se derelictum versus centrum compelli. Sic inter cribrandum acta in orbem cum paleis, festucis, ceterisq; impuritatibus solidiora frumenti granula quisquiliis illas ad motum illum sustinendum ineptiores manifeste com-

compellunt : Sic in vase rotundo aut ampliore patina, super figurā rotā aut alio artificio in orbem celeriter actis, globuli plumbei minutiores, alios lapideos, ligneos &c. multò majores, vel etiam silices, assulas aliaque irregularis figuræ corpuscula circa vasim medium colligunt : Sic in vaculo Faventino candidi coloris, fundi plani sed ambitus rotundi, supernè laminâ vitrâ cooperto, cum illud, aquâ prius cum pauca cera Hispanica contrita ad summitatē usque repletum probeque lutatum, super cardine quodam celeriter gyretur, sub initium quidem suave - rubens pluvis fundo vasis candido adhærens (quod hujus gyratione facilis, quam aquæ lubricæ portiones, abriperetur & sic plus impetus concepisset) à centro vasis ad ejus oras sedere cogebatur ; mox autem, valis gyratione subito cohibitâ, cum inclusa aquæ pulverisque mixtura conceptum in orbem motum jam sola continuaret, pulvis ceræ Hispanicæ ad vasis centrum iterum in parvam massam rotundam compulsus est ; quia suâ fundiq; vasis asperitate præpeditus aquæ motum nisumque à centro assequi non valuit.

### CAPUT III.

*Phanomena Superiū enarrata ex Observationibus  
ac hypothesib⁹ modò recensis⁹ ad causas suas  
reducere laborans.*

#### I. CONCLUSIO.

**S**Ecuri ergo vel de Aristotelis, vel de Scholarum, aliisque hypothesib⁹, quas non satisfacere phænomenis alibi ostendimus, pro nostra hypothesi iis accommodanda, si fingamus eum hujus elementaris sphera statum, quo partes aqueæ, terreæ, aëreæ, igneæ & æthereæ mixturam adhuc inordinatam & confusum quoddam chaos constituebant, ponamusque hanc mixturam nutu jussuque divino circa hoc ipsum punctum quod Terræ centrum nunc occupat, in orbem conversam ; necessum erat hoc motu posito partes omnes à centro motus extorsum conniti, sed inæqualiter *juxta Observ.*, atque adeo partes æthereas, minutissimas omnium quidem sed insimul (quod hic supponitur) omnium solidissimas, vincere cæteras omnes eas-

casque solas actuali sensu ab hoc centro removeri, cæteras omnes autem versus centrum compelli per Observ. 4. ita ut *situs aether absolu-*  
*tute* levis dici posset, reliqua omnia verò ab ascendentे æthere per circulum depulsa, *gravia* reverā sint omnia.

Causa  
Phæn. I.  
3. 4.

II. CONCLUSIO. idem vero pulsus ætheris qui partes elementares minus solidas actu ipso terram centrumque versus detrudunt si spatiū ipsius detur absque impedimento descendendi, cum non cessent insultare ejusmodi partibus super invicem sensibiliter quiescentibus aut alijs impeditis quo minus actu descendant; manifestum est has saltē in perpetuo nisu deorsum constitutas esse, adeoq; (quod obiter hinc sed commode infertur) *terrestrium corporum duritatem & crescentem paulatim soliditatem ex hoc perpetuo proprius coēundi nisu pendere procul dubio.*

III. CONCLUSIO. Quo pluribus vero partibus elementaribus corpus aliquod constat, sive extensivè sive intensivè, tantò plures id ætherearum particularum pulsus recipiet, h. e. tantò *gravius* id ast futurum, & quidem, si sub æquali mole plus partium elementarum habuerit, & sic plus impulsus ætherei, *specie gravius* quemadmodum, ubi partium elementarium & sic impulsuum æthereorum multitudo æqualis est sub æquali mole, in iis est æqualis quoque nisu deorsum *eademq; ad eadē specifica gravitas*. Ut hoc pacto *internum* quoque *gravitatis principium* in aprico sit.

Causa  
6. 7. Phæn.  
nom.

IV. CONCLUSIO. Jam quia fluida quæque partes habent elementares homogeneas adeoque ejusdem soliditatis, illæ omnes æqualiter pulsæ æquabiliter etiam circum invicem se disponunt, non valentes unæ extrudere sursum alteras: Et in hoc consistit *Fluidorum in suprema superficie polities ordinaria.*

V. CONCLUSIO. Quod si verò fluida diversi generis, ut aqua & oleum, aqua & aër, aër & ignis &c. invicè permixta fuerint, cum partes olei, v. g. aut aëris minus solidæ minus etiam impulsus ab æthere gyrante recipient quam partes aquæ solidiores, hæ certe majore nisu deorsum tendentes, illas conatu debiliore eodē connixas in locum suum necessariò per circulationem sursum extrudunt; idemque cum faciant post infimas successivè cæteræ quoq; superiores omnes, non cessat hæc extrusio donec portio illa minus gravis, h. e. minus solidæ ad gravioris summitatem usque elevata fuerit. Similiter si firmum quoddam aut stabile corpus, cuius partes sint minus solidæ, in fluido partium tantillo solidiorum, e. g. lignum in aqua demersum fue-

Ratio  
Phæn.)

*Ratio 9.* rit, moles quæque fluidi æqualis stabili huic corpori, majore descendi conatu hoc in locum à se derelinquendum necessariò extrudit, ut subsistere nullibi nisi in summitate possit: Et hoc est illud quod *Levitatem* in his elementaribus dicimus, scil. nihil aliud quam *minor gravitas*, quæ interim non cessat esse gravitas, ideoque juxta Phæn. cum fluidi pondere firmi quoque sui, etsi levioris, corporis pondus sentiri facit.

*Ratio 10.* VI. **C O N C L U S I O.** Quod verò nonnunquam extraordinariè graviora supra leviora ascendant aut sustententur, ut in Phæn. X. adnotatum est, id totum ex eo ferè universaliter pendet (ut alibi fuis demonstratur) quod gravioribus illis fluidis ordinariè aëris, istis quidem specie levioris, absolute verò latis gravis, Sphæra magnitudine & altitudine ponderosissima incumbat. Quod equidem quamdiu fit æquabiliter ex omni parte, tamdiu tervant locum inferiorem illa graviora: si ex una parte illa pressio incumbentis atmosphæræ tollatur aut impediatur (id quod fit in plerisq; Phæn. X. similibusque innumeris casibus) in cæteras autem viam suam exerat, mirum non est ex hac inæqualitate pressionis, ponderi corporum proprio accedentis, contingere, ut hæc ex ea parte subleventur aut suspensa reneantur, ex qua prementis atmosphæræ subSIDium ipsis denegatur. Specialiorem hujus illationis applicationem pagellarum harum angustia non capit.

*Ratio 13.* VII. **C O N C L U S I O.** In actuali porrò gravium per aërem de scensu, quod nova subinde velocitatis incrementa accedant, inde est, quod, quantum impulsus à partibus æthereis per terminum à quo gyrrantibus recipiunt momento primo, tantundem recipient singulis momentis subsequentibus ab eodem æthere per reliqua loca inferiora similiter gyrrante, præcedentibus interim impulsibus (nec enim in momento cessat impressus corporibus impetus) nondum extinctis, sed conjunctis iugiter cum novis subsequentibus: Quemadmodum econtrâ motui gravium sursum projectorum, singulis momentis obviat novus ætheris deprimentis impulsus eodem modo semper augescens, adeoque plus semper derogat; ut tardior rem hunc subinde fieri, tandemque finiri penitus & in contraria converti, necessum sit.

*Ratio 14. ex parte priore.* VIII. **C O N C L U S I O.** Quod verò secundum progressionem numerorum pariter imparium procedant ista velocitatis inter descendendum incrementa, ejus rei ratio Physica ex Galilæi Schemate illustrari

strari multum potest, cùm in Triang. rectangulo A BC, (Fig. 5.) partibus catheti æqualibus A b, b d, d f, f h, h B totidem tempora æqua-  
lia, lineis transversis b c, d e, f g, h i, B C, velocitates momentis  
singulis æqualiter auctas juxta ordinalem numerorum seriem, areis  
autem interceptis A b c, c d, e f, g h, i B, spatia singulis momentis  
decura & secundū progressionem numerorum imparium auge-  
scentia, designat. In primo enim tempore A b grave cùm confi-  
ciat e. g. spatiū A b c acquisito paulatim primo velocitatis gradu  
b c (quem si statim ab initio habuisset, utique duplum illius spatiū  
nempe b z percurrisset;) sequitur in tempore secundo idem grave  
vi primi hujus velocitatis gradus b c jam pleni possessi spatiū prioris  
duplum, & vi novi gradus velocitatis hoc secundo tempore pau-  
latim acquisiti, adhuc unum, adeoque ad summam tria spatiā c d  
conficeret; similiterque tertio temporis intervallo, sub cuius initium  
jam possidet integros duos velocitatis gradus d e, horū ope quatuor  
spatia, & vi novi paulatim interea acquisiti adhuc unum, adeoq; ad  
summam quinq; spatiā absolvere, eodemq; modo quarto tempore spa-  
tia 7, quinto novem &c. sumptis autem collectis temporibus pariter  
ac spatiis, uno tempore A b, spatiū unum A b c, duobus tem-  
poribus A d spatiā 4 A d e, tribus temporibus A f spatiā 9 A f g, &  
sic in cæteris, emetiri.

Ratio  
partis 1.  
Phanom.  
XXX.

**I X. CONCLUSIO.** Similiter ex adverso in projectorum ascensu  
eandem servabunt retro progressionem spatiiorum decurrentorum  
decrementa. Nam si v. g. projectum B receperisset ab initio veloci-  
tatis gradus 5 plenos, horum ope utique decurisset primo tempo-  
re B h 10. spatia, nisi ob unicum velocitatis gradum interea paula-  
tim amissum, unum quoque spatiū deficeret, & adeo solum con-  
fectis; pariterque residui tempore secundo h f velocitatis gradus  
pleni quatuor, conficerent spatiā octo, nisi unus interea temporis  
velocitatis gradus, atque adeo spatiū quoq; unum excideret, non  
nisi 7 adeo revera emensis &c.

Ratio  
partis post.  
Phanom.  
XIV.

**X. CONCLUSIO.** His verò rectè perceptis nihil amplius impe-  
dit, quò minus ex eadem hac nostra mechanica hypothesi XI. Phæ-  
nom. quoque ratio luculenta perspicciatur. Etenim si v. g. in vase re-  
curvo (vid. Fig. 4.) superficies aquæ A in crure ampliore ponatur  
esse decupla luperficiei B in crure angustiore, & assumantur æquales  
altitudines orbiculorum aqueorum A a & B b; impossibile est or-  
biculum A a & consequenter aquam ipsi subjectam oīnnem in crure

Ratio  
partis 2.  
Phanom.  
XL.

ampliore descendere per spatium simplum ipsius altitudini æquale, quin eodem tempore orbiculus B b & aqua ipsi subiecta omnis in crure angustiore per decuplum spatium B c attollatur. Jam vero sicut orbiculus A a recipere, e.g. decem impulsus æthereos per simplum spatium A a; sic orbiculus B b, illius subdecuplus, per 10 spatia B C pariter haberet 10 impulsus æthereos sibi adversos: ut hoc pacto tantundem ex hac parte sit resistentiae, quantum ex illa parte virium deprimendi, atque adeò perpetuum, rebus ita stantibus, æquilibrium; id quod ad *Stevinianum* quoque experimentum applicare non est adeò difficile.

*Ratio* XI. CONCLUSIO. Nec alia ratio erit Experimenti Paschaliani *partis I.* (Fig. 1.) dummodo ad hoc unum attendatur, hic intercedere commercium mutuum duobus cruribus fluidorum diversorum, aquæ nempe & aëris, quæ non sub eadem altitudine, ut in casu priore, sed sub altitudine ponderibus reciproca æquilibrium servant, si scilicet aëris altitudo F E vel H G sit millicupla circiter altitudinis aquæ A C vel B D, sicut econtra aqua specie millies solidior & gravior est aère; de cætero vero eadem est quæ suprà aut similis illatio: Nimirum si Cylindrus aëris F E vel H G embolum C aut D deberet protrudere sursum, e.g. quinq; lineas, Aqua A vix ad dimidiam esset attollenda (posito scil. Aream A esse baseos emboli C decuplam) quemadmodum econtra aqua B ad decem lineas veniret sursum extrudenda, si hujus area dimidia pars tantum esset baseos emboli æqualis D. Jam vero alcensus areæ decuplae A per lineam dimidiæ non plures impulsus ætheris aduersos sibi habet quam quinque; nec area B (quæ est dimidia areæ D) per lineas decem pauciores quam quinque tales, quales habent aërei cylindri per spatium quinque linearum. Quamobrem utrobius æquilibrium æqualiter futurum esset, nisi proprium emboli pondus, utrobius æquale, superpondium etiam æquale adjungeret.

*Ratio* XII. CONCLUSIO. Similiter se res habet cum statera & vecte, quoad tñ signi vix uspiam clarè latis demonstrata. Servant e.g. (vid. Fig. 3) pondus 1 lb & pondus 10 lb ex longitudinibus reciprocè proportionalibus B C & A C se mutuo in æquilibrio, quia si majus pondus descenderet per tantillum spatium B b, deberet eodem tempore minus attolli per spatium decuplum A a; per decuplum autem spatium pondus simplum tantundem impulsus ætherei recipit, quantum pondus decuplum per spatium simplum. Quare impetus utro-

utrobiique æquales exsuperare alteri alteros haut valent, & hinc necessariò æquilibrium, tum demum evertendum, si alteruti parti aliquid porro ponderis, & sic aliquot novi impulsus ætheris, accesserint.

**XIII. CONCLUSIO.** Restat hoc unicum circa incrementa velocitatis in gravium descensu monendum, hæc ita procul dubio secundum numeros impares perpetuò progressura esse, ex quacunq; etiam altitudine lapsus gravium contingeret, nisi aër aliquam resistentiam haberet, eamque crescentem cum incrementis velocitatis in descendente gravi, quod ipsum magis magisque comprimit, tam facile loco cedere nescium. Unde contingere potest, ut hæc resistentia medii magis magisque coacti tandem ad eum gradum deveneriat, qui cum accessoriis ætheris impulsibus paria faciat & ulteriora velocitatis incremента nulla admittarat.

*Ratio  
partis  
post. Phæ.  
nom. XIII.*

**XIV. CONCLUSIO.** Et absque hac aëris resistentia si esset, inæqualia quantumcumque pondera ejusdem speciei ex eadem altitudine demissa eodem momento terram attingerent procul dubio, cum e. g. in duplo graviore duplus eidem sit ætheris impulsus, sed in duplo plures etiam partes distributus, ita ut singulis partibus in majore æqua ac in minore corpore tantudem impetus & velocitatis communicetur. Verum enim verò, cum minus grave pro ratione molis suæ plus habeat superficiei ( prout e. g. globus octuplo ponderosior alio ejusdem materiæ, superficiem solum quadruplo majorem habet ) aër autem corporibus descendantibus secundum superficiem, quam ipsum attingunt, resistat; manifestum est minori corpori pro ratione molis suæ plus resisti ab aëre, quam majori, atq; adeò hoc semper citius illo ( non tamen secundum proportionem ponderis, ut Aristoteles creditit ) præfixam metam attingere.

*Ratio  
XV. Phæ.  
nom.*

## CAPUT IV.

### Quadam Conjectaria ex Demonstratis hucus Conclusionibus deducens.

#### CONSECTARIUM I.

**E**X hac verò de gravitate corporum elementarium hypothesi sua sponte fluunt compluria conjectaria hic attingenda magis

quam diducenda, & hoc quidem primo loco : Causam aliam haut esse, quæ terræ molem ingentem ita liberè suspensam in æthere sustineat, quam eam ipsam cœli gyrationem ; siquidem impossibile est ex ulla parte terram, aut ejus tantillam portiunculam, uspiam emigrare, cum ejus partes undique aequaliter ab ambiente cœli gyro comprimantur.

**CONSECT. 2.** Quin ex eadem hac gyratione Sphæricam terraquaërei globi figuram nunc eò felicius quis deduxerit, quam partium gravitati dudum tribuerat Aristoteles ; cirea genuinum interim gravitatis principium indicandum mirum in modum se torquens.

**CONSECT. 3.** Cum porrò Luna, Sol ac reliqui Planetæ, adeoq; & reliquæ stellæ Soli simillimæ procul dubio, & globosæ figuræ sint, & in cœlo fluido, & quæ ac terra, liberè pendeant, non est cur aliam utriusque conditionis causam quæramus, quam similem ætheris circa singulos gyrationem, aliis etiam Phænomenis circa plerasque jam comprobata, prout Observ. I. superius ex parte monuit.

**CONSECT. 4.** Partibus itaque Lunæ, Solis &c. non minus ac terrestribus sua competit gravitas, h. e. verius centrum totius, aut versus centrum sui orbis, tendentia, niſus ac delcensus : id quod, ptæter Kircherum, Schottum aliosque, dudum perspexit Honoratus Fabri Peripateticus recentior, gravium quæ talium usum alium non esse, quam ut cum aliis gravibus compingant globum totalem, accurate demonstrans.

**CONSECT. 5.** Toti globi interim etsi graves & ipsi sint, ita ut violenter ex orbis sui centro emoti, cessante movente violento ad idem reddituri essent procul dubio ; in centro tamen hoc actu constituti non amplius gravitant ; siquidem punctum quod tenderent aut conniterentur extra se nullum habent, & ambientis orbis fluore ex omni parte aequaliter premuntur : Ut hoc pacto, ex ingenti licet partium pondere, totis tamen globis ad motus etiam concitatissimos subeundos, nulla sit impotentia aut inertia metuenda.

**CONSECT. 6.** Quod verò cœlestium illorum orbium fluor non evolet penitus centrumq; & eò compulsa corpora deserat, (id quod futurum ex Observ. IV. & Conclu. I. suspicio esse posset) ejus rei causa obvia nunc est, aliorum scilicet vicinorum orbium, circa alia corpora similiter gyrantium renitentia : ut vel ex hac sola causa cœlum,

Ium, etiamsi fluidissimum, Firmamenti tamen nomen sibi omni jure vindicet.

**C O N S E C T.** 7. Eleganter etiam hinc licet concipere rationem perpetuæ & invariabilis fixarum stellarum (tamen si solidis è crystallo rotis non affixarum) ab invicem distantiæ; siquidem singularum ambientes gyri vel orbes fluidi singulas etiam in suo centro necessariò penitusq; defixas retinent.

**C O N S E C T.** 8. Econtra verò, quod Planetæ suas inter se distancias mutent & à fixis aliis aliisque varie discedant, aliunde verosimilius, credo, nemo deduxerit, quam ex eo, quod eorum quisque circa se peculiare in quidem habeat gyrum æthereum, & hoc mediante nonnulli alios porrò minores globos (e. g. Jupiter 4. Medicæa sidera, Saturnus tres suas Lunulas, & quæ ac Terra suam unicam) circa se in orbem agant, unâ tamen cum his ipsis suis gyris minoribus intra Solis gyrum multò majorem comprehendantur, adeoq; circa Solen eadem ratione, quæ ipsorum satellites circa ipsos, tardius aut velocius pro ratione distantiæ, circumvehantur: id quod, quia huc præcisè non spectat, hic etiam fasilius haut licet deducere,

Tantum.

### Additamentum.

**C**um vacua cæteroqui futura esset, præter opinionem nostram, Chæc ultima pagella, ex plurimis quæ lucem aliquam superius dictis scenerari porrò possent, ea hic subnecester, quæ XIII. Phænomeno illustrando cum primis inserviunt, & verbis quidem ipsis Riccioli ex Almag. Nov. Lib. II. Cap. XXI. Prop. IV. P. Fr. M. Grimaldus & ego preparavimus plurimos globos cretaceos ejusdem molis, & singulos unciarum 8, quos dimisimus ex diversarum turrium aut adiutorum fenestris aut fenestellis ad mensuras capiendas aptioribus, usq; sumus in primis Bononiensibus turribus, nempe Asinellorum, qua est altra pedes Romanos 312, & S. Petri altâ pedes 208, & S. Petronii altâ pedes 200, & S. Jacobi altâ pedes 189, & S. Francisci altâ pedes 150; licet non totâ earum altitudine usi fuerimus, sed illa qua apta fuit ad

pro-

proportionem predictam. Praterea ad tempus subtilius pernoscendum, quo globi demissi ad pavimentum perveniebant, adhibuimus duos perpendicularios minimos, quorum una simplex vibratio valeat 10 1/1 prout mobilis. Inter multa autem Experimenta, duo infra scripta selectissima, & omnium certissima, ne prolixior evadam Lectori meo, propono in tabella sequenti:

Experi- menta.	Vibrationes simplices perpendi- culi.	Tempus Vi- brationibus congruens.	Spatium con- fectum à glo- bo cretaceo unc. 8. in fine temporis.	Spatium ergo seorsim con- fectum singu- list temporibus æqualibus.	Increments ve- locitatis sim- plicibus nu- meris expressa.	
		11	111	Pedd. Rom.	Pedd. Rom.	Num. par. imp.
I.	5	0	50	10	10	1
	10	1	40	40	30	3
	15	2	30	90	50	5
	20	3	20	160	70	7
	25	4	10	250	90	9
II.	6	1	0	15	15	1
	12	2	0	60	45	3
	18	3	0	135	75	5
	24	4	0	240	105	7
	ferè 26	4 ferè	20	280		

NB. In Experimento primo assumptis temporibus altitudines tentatae, in secundo altitudinibus assumptis tempora ipsa explorata sunt.

